



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XIV. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)



S. Veronica Virgo Mediolanensis id beneficii à Deipara accepit, ut eam sæpius coram videre merita, ejus instructione legere & canere didicerit. Cui Deipara pro devotionis mensura jam pulchriori, jam viliori veste induta comparere solebat. *Ex vita.* Non quid, sed quomodo res agatur, cœlum observat.

S. Veronica pudet me orationis meæ, ubi, quàm ea frigida, quantis plena distractionibus sit, recogito. Vix aliquid veræ orationis etiam in longa oratione reperio. Tu pro me Deiparam ora, ut ritè orare discam, sicque per orationes meas felicem ex hac vita transitum impetrem. O Sanctissima DEI, & mea Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omnino possibili omnium possibilium & actualium creaturarum, affectu amare, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: summâ, quâ possum devotivæ, preces meas, esto non longas, offeram Deiparæ.

Maria est thesaurus, quia in ea, ut in Gazophylacio reposuit Dominus omnia dona gratiarum, meritorum, virtutum, donorum, & charismatum. *Rich. à S. Laur. l. 4. de laud. V.*

Quæstio: An B. V. ex dono Justitiæ Originalis habeat subjecta sibi animantia? *v. Vega Theol. Mar. n. 837.*